

# PARS SECUNDA

HUIUS LIBRI, DE PLVRIMO, PVLCHERRIMI ILLIUS Quadrantis vsu, & syderum cognitione.

## PROPOSITIO PRIMA.

¶ Gradum Solis in Zodiaco, quoti-  
die & solerter inuenire.

**I**nuenturus in diem aliquem propositum Solis in Zodiaco signum & gradum Quadrantis tergum in manus accipe, & quem queris Mensem simul & diem tibi propone in altero orbe, super illum collocabis indicem longissimum istum, quem antea horarium diximus, cum linea fiducia. Deinde vide quem linea ista Zodiaci gradum attingat, puta, si indicem ponas super 6. diem Maij, (in anno tamen communi) ille gradum tibi ostendet 25. & quem sol eo die permeat. In anno autem bisextili, elapso iam die 24. Februarij per totum illum annum pro quolibet die presenti diem adsumes sequentem, vt si gradum solis queras ad 12. Martij, queres die 13. eiusdem, (sicut iam docui) & inuenies gradum solis questum.

## PROPOSITIO SECUNDA.

¶ Diem Mensis ex radiis solaribus colligere.

**F**IT non raro, vt quis diem ignoret praesentem, quod multis in septimana quoque contingit, vt in die illius aberrant, Quo facilius ergo ad diei cognitionem veram peruenias, horologium viatorium (quod vulgo Compassum vocant) accipe, & in eo meridiem obserua directe, hoc est, vide quando vmbra Solis horam 12. tangat, Tunc arrepto Quadrante radios solares per pinnacida parua obseruato, solerter & diligenter, deinde conspicio, quo nam loco filum horam contingat duodecimam, id vbi videris, eo vnione alteram ex filo pendentem deducito, filumque adtolle super scalas ita vt margarita lineam tangat A B, qui tibi gradus erit quem sol eo die percurrit. Ad haec obseruandum quoque tibi erit, crescat ne dies an minuatur, quod si crescit, signum accipe prope scalas quod ex illis margarita contingit, vt ♄ ♃ ♀ ♁ ♂ ♁. Si vero decrescit, signum sume ex altera signorum linea quae comprehendit ♄ ♃ ♀ ♁ ♂ ♁. Inuento itaque iam & signo & certo solis gradu, eundem quoque quere in altera rotula tergi, circuloque illius extremo, & positus super eum index horarius, indicabit tibi diem Mensis cuius oblitus fueras.

## PROPOSITIO TERTIA.

¶ Aureum numerum in singulos annos solerter inuenire.

**A**Vreum numerum (quo hic ad Lunae motum inueniendum opus habes) inuenturus adde .i. ad numerum annorum a nato Christo, & quicquid inde prouenerit, diuide in 19. (19. enim reuolutio aurei numeri est) ex eo quod remanet, aureum tibi prebet numerum. In hunc modum, quum iam a partu virginis numeremus 1532. pone tu 1533. id diuide in 19, & inuenies 19. in illo octuagesies, quod si reieceris remanebit 13. nimirum numerus annus aureus quem querebas.

## PROPOSITIO QUARTA.

¶ Signum signique gradum in quo luna est  
pulchre & adposite inuestigare.

**Q**uicquid hic de motu Lunae scripsimus, de medio tamen motu intelligi volumus. Inuentum itaque ex proxima propositione numerum aureum quere in altero orbe, cui Aurei numeri addita inscriptio est, & super illum quem iam inuenisti, indicem a tertie rotulae

B 3 culae